







1690.

21^a, b, c. Mullerus, Petrus: De residentibus eorumque
iuris. 3 Sempl. 1690 - 1742

22^a, b, c. Mullerus, Petrus: De profectione Artium.
3 Sempl. 1690 - 1742.

23^a, b
= Mullerus, Petrus: De promotione a studente loci
licta vel prohibita 2 Sempl. 1690 - 1742

24^a, b
= Mullerus, Petrus: De communiis. 2 Sempl. 1690
1743.

25. Schellhammerus, Johann Christophorus: Dissertationes medicae,
quae medicum philosophum 1700-1705 . . . delineatus
- - - exponitur.

26. Schmidtus, Jo. Andreas: Callaposa Hierichontis muros
lib. Ios. Cap. 6. 20 memoratos . . . peruestigabit.

27. Steuoghius, Fr. Philippus: De libertate academica.

28. Steuoghius, Joannes Philippus: De officiis.

29. Steuoghius, Fr. Philippus: De spadonibus.

1690.

- 30^a et ^b Stenopius, Jo. Philippus: De actione funeraria
2 Sept. 1690 = 1744
- 31^a et ^b Stenopius, Jo. Phil: de foro gestae administra-
tionis. 2 Sept. 1690 = 1743.
- 32^a et ^b Stenopius Joh. Philippus: De auctoritate Imperatoris
ecclesiastica. 3 Sept 1690, 1743, 1745
33. Stenopius, Joh. Madriacus: De iura metre
34. Wedelius, Georgius Wolffgenus; Fr. med doctorum:
Pempemphica in ang: De sinapi scripturae (est
disputationes in ang. Johanni Christophori
Schuster invitat.)
35. Wildvozel, Christianus: De fortuna iudicio
- 36^a, ^b, ^c Wildvozel, Christianus: De venerabili sigis
Crucis 4 Sept. 1690, 1697 = 1733.

ia

bra

is

ig



16

30^a

31^a

31^b

33^a

34^a

35^a

36^a

57^b



DISPUTATIO IURIDICA

DE

POSSESSIONE

A

DETENTORE DERELICTA
VEL PROBITA,

OCCASIONE

L. VLT. C. DE ACQUIREND. AC RETINENDA
POSSESSIONE.

GERM.

Wenn jemandes Bedienten u. einen Dritten zur Be-
sitznehmung ihres Herrn Güter u. einlassen und be-
schädigen; was darbey Rechtens.

PRAESIDE

PETRO MÜLLERO, ICTO,

CONSILIARIO SAXONICO,
CODICIS, IURIS PVBLCI ET FEVDAL. PROF.
COLLEGIOR. IURIDICORVM ASSESSORE
ET DECANO,

AD D. DECEMBER. CIO IO CXC.

HABITA

A.


IOANN. AVGVST. RICHTER.

ALTENB. MISE.

NVNC VERO OB IN FORIS VTILITATEM

IENAE,

REC. PER IO. BERNH. HELLERVM, 1745.



2

POSTERIORE

LIBRARIUS

AD

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS

LIBRARIUS



ca
g
m
di
q
ab
et
in
ft
T





I. N. D. N. I. C.



si in omnibus rebus præparatio-
nem diligentem Cicero ; & con-
sultationem Salustius requirunt ;
ea tamen ut operæ huic adhiberem, temporis an-
gustia pati noluit, ut de hoc eo magis querendum
mihi sit, quo verius est, me in eum laborem inci-
disse, cui exercitatissima ingenia vix sufficiunt. Ec-
quid enim in juris nostri profundo potest videri
abstrusius ipsa materia POSSESSIONIS, quam
etiam Peritissimi definiri nesciverunt. Schneidew.
in §. possidere Inst. de Interd. In re tam nota te-
stem invoco Petrum Friderum, qui inter apices
cruces-

crucesque juris eam ponendam esse affirmat *in Comment. Synopt. de Materia possess. c. 1. n. 1.* ne, si illam ipsam definitionum, divisionumque miram diversitatem imo contrarietatem allegem tractationem ipsam, quod maxime mihi vitandum est, longius simulque inutiliter producam aut differam. Attamen cum curam susceptam materiae ejus, absque cujus cognitione utilissima neminem jurisperitum se jactitare posse dicit Zasius *in pr. tit. ff. de A. & A. P.* eam deserere nec decorum sit, nec per tempus nunc liceat; ideo *Remedium illud, quod competit domino ad recuperandam à detentore derelictam vel proditam possessionem*, quemadmodum constitui brevissima dissertatione persequar, quæ primo capite notabiliora tantum legis verba observabit, in subsequentibus autem remedii hujus definitionem, causas, & contraria proponet. Methodus igitur hæc erit, ut præcedat tractatio textualis; subsequatur systematica.

*) 5 (*



CAPVT I.

CONTINENS

TRACTATIONEM TEXTVALEM.

L. XII. COD. DE ACQUIRENDA VEL RETINENDA
POSSESSIONE.

IMP. IVSTINIANVS A. IOANNI P. P.



*x libris Sabinianis questionem in diuinas
nostri numinis aures relatam tollentes;
definimus, ut siue seruus, siue procura-
tor, vel colonus, vel Inquilinus, vel quispiam a-
lius, per quem licentia est nobis possidere, corpora-
liter nactam possessionem cuiuscunque rei dereli-
querit, vel alii prodiderit, desidia forte vel dolo,
ut locus aperiatur alii eandem possessionem deti-
nere: nihil penitus domino præiudicii generetur,*

A 3

118

ne ex aliena malignitate alienum damnum emergat: sed & ipse, si libera conditionis est, competentibus actionibus subjugetur: omni jactura ab eo restituenda domino rei, vel ei, circa quem negligenter vel dolose versatus est.

Reliqua hujus constitutionis verba, quia casum ab hoc meoque proposito diversum continent consulto omitto.

S V M M A R I A.

I. Hanc Constitutionem esse unam & Quinquaginta Decisionibus existimant. II. Qualis hic intelligatur Procurator. III. Quis Colonus. IV. Quis Inquilinus. V. Quidnam naturalis possessio hic denotet. VI. Prodere idem est ac Tradere. VII. Dominus possidet. VIII. Figuratio Casus ex Glossa.

§. I.

Ne quoque in extraessentiali legis propositæ parte, inscriptione puta, quæ Augustum rescribentem, Imperatorem Justinianum, & personam rescriptum Impetrantem, Johannem quendam, Præfectum Prætorio, continet, hæream, exinde moyeor, quod nec difficultatis aliquid hic subfit,

subsit, nec utilitatem aliquam ea opera afferret, nisi illud annotare vellem, ex praefixo Imp. Justiniani nomine colligi, constitutionem hanc esse inter illas Decisiones 50. referendam, quorum respectu Codex Digest. praepriis derogare dicitur; verum illud ipsum eidem in hypothese applicare non potest, ut ex sequentibus patebit; Ad partem ergo essentialem, ipsius scilicet constitutionis verba progredior.

II. *Procurator*) non litium, sed negotiorum, qui aliena negotia extrajudicialia mandatu domini administrat. *arg. l. 1. pr. ff. de Procurat.*

III. *Colonus*) videtur quidem secundum nativam suam significationem, cum à colendo agro dicatur, idem esse cum Agricola, sive ruricola, de quo Horat. *I. Epodôn Ode 2.*

Beatus ille, qui procul negotiis

Ut prisca gens mortalium

Paterna rura bobus exercet suis, &c.

At in jure nostro ejusmodi proprietarius coloni appellatione non venit; Ibi enim *Colonus* est primo, qui vel ad pecuniam numeratam conduxit villam sive agrum vid. *l. 37. ff. de A. vel A. P. & nummis colere dicitur. Gloss. in b. l. velis, qui quasi jure societatis damnum lucrumque cum domino*
fundi

fundi partitur & ideo partiarius vocatur *l. 25. §. 6. locati.* Deinde colonus pro eo ponitur, qui & Agricola, adscriptitius, originarius appellatur; Quorum apud Romanos origo cœpisse videtur post devictos Latini nominis populos, cum longe propagatis finibus qui locupletes iis fuerunt, jam fundorum suorum latitudinem tueri non valentes fervos agris colendis tutandisque amandabant, destinabantque, sic, ut perpetuo in agris essent. Unde coloni isti adscriptitii cœperunt fundi partibus annumerari; ex quo ipso, qui colonos utiles credunt, aut cum prædiis eos tenere debent, aut profuturos aliis derelinquere, si ipsi prædium sibi prodesse desperant, in *l. 2. Cod. de Agricol. & Censit.* Nam coloni tales ex Ulpiani sententia & instrumento continentur. *l. 1. §. 2. & 3. ff. de Instr. vel Instr. legat.* Utrique tamen significationi in lege hac locum esse, procurator & servus adjecti indigant.

IV. *Inquilinus*) ab in & colo, i. e. habitando dicitur, proprieque est is, qui in urbe domum alienam mercede solus incolit. *l. ult. ff. de migrando. l. 4. §. Prætor ait. de damno inf. l. 37. ff. de A. vel A. P.* Improperie talis est, qui cum domino vel eo, qui domus usum habet, habitat, non enim
tam

tam inquilinus, quam hospes hic dicendus est, etiam si mercede habitet. *Connan. l. 4. c. 5. num. 4.* Itaque cum Labeo dixisset, Usuarium ædium, qui modo ipse habitet, posse inquilinum quoque recipere, Proculus eum notavit, quod non belle inquilinus dicatur, qui cum eo habitat, ait *Ulp. l. 2. § 3. ff. de Usu & habitat.* Quemadmodum item Colonus pro adscriptitio accipitur: ita interdum nec inquilinus differt ab adscriptitio sive originario *l. definimus Cod. de Acquir. vel Ret. Possess.* Unde legatum inutile dicitur, si quis inquilinos sine prædiis, quibus adherent, legaverit. *l. 112. ff. de Legat. 1.* Uterque autem huc pertinet.

V. *Corporaliter nactam*) non sibi, sed domino *Gloss. in b. l. solo scil. corporis actu*, qui neque naturalem in specie, neque civilem vel in genere vel in specie possessionem, ipsi qui eo modo possidet, sive detinet potius, tribuit. Is enim possidet cujus nomine possidetur. *l. 18. ff. de A. vel A. P.* & speciatim seivus, cum possideatur, possidere non videtur.

VI. *Prodiderit*,) i. e. tradiderit, vel dederit. *vid. l. 6. §. 4. & l. 7. ff. de Remilit.* Unde apud Salust. antequam arcem proderent hostibus, id est, darent.

VII. *Domino*) Constitutio hæc non loquitur de domino, qui probare vult se rei esse dominum, sed dominus hic est ipsius rei possessor antiquior, ubi sola est de possessione controversia. Quod indicant & verba legis: vel ei, circa quem negligentè versatus est. Menoch. *Rem. Rec. 14. n. 26.* dicitur autem dominus ideo, quod possidens talis præsumatur *arg. l. 14. ff. de Probat. l. 2. C. eod.*

VIII. Casum hujus legis Glossa ita ponit: Coloni mei, vel Servi mei possidebant prædium meum & nomine meo: Si prædium reliquerint negligentia, vel dolo prodiderint, ut alius ingrederetur possessionem, an mihi præjudicetur, quo magis possessionem amittam? queritur. Resp. quod non.

CAPVT II.

CONTINET

DEFINITIONEM CAVSAM
EFF. ET SVBIECTVM.

S V M M A R I A.

- I. & II. *Condictio hæc quale sit remedium.*
 III. *Causa efficiens Imperator.* IV. *Quinam hanc actionem instituere possint.* V. *Quinam agere non possint.*

possint. VI. & VII. Adversus quos agatur. VIII. Tertius possessor directo, procuratore vel debitore non excusis, conveniri potest. IX. Constitutio creditori non officit, si is, qui ejus nomine in possessione est, alterius nomine se possidere constituat. X. Creditor quomodo in constituto possessorio hoc remedio fruatur. XI. Generaliter hac conditio datur contra tertios possessores.

I.

Ea, quæ datur ex lege jam expressa conditio, est remedium recuperandæ. Wissenb. ad tit. ff. d. A. v. A. P. n. 21. à quovis detentore possessionis, quam factò ejus, per quem possedimus, l. 3. §. 7. l. 9. ff. de adquir. vel am. poss. l. 40. in f. ff. eod. §. 5. Instit. de Interd. amissimus arg. l. 31. l. 40. §. 1. eod.

II. Generis loco posui remedium, scilicet legitimum, per quod tanquam instrumentum possessionem deperditam recuperamus. Reliqua verba, quomodo id in genere à petitoriis & in specie ab interdictis adipiscendæ & retinendæ, quinimo qua ratione à cæteris possessionis recuperandæ remediis distingvatur, satis indicant, & subjectum, objectum, formam finemque, quæ singula subsequentibus paginis prolixius perstringam, arguunt.

III. *Causam efficientem* principalem, Augustum scilicet legislatorem, inscriptio constitutionis satis indicat. Minus principalis sive impulsiva ipsa æquitas est, quæ alteri per alterum iniquam conditionem inferre non patitur *l. 74. arg. l. 198. ff. de R. J.* sed culpam suos autores tenere et flagitat *l. 155. ff. eod. l. 2. § 3. de eo per quem factum erit.* Unde ita lex nostra: ne ex aliena malignitate alienum damnum emergat; Ex qua ipsa ratione, si tutor pupilli nomine calumniose litem movit, aut juste agenti adversario inique se opposuit, eaque de causa tanquam litigator temerarius in expensas condemnatus sit, non potest pupillo eas imputare *l. 9. §. 5. de administratione tut. l. 6. Cod. eod.* Nec enim quoad nostrum casum, sibi debere imputare dominum dicendum est, quod diligentiores rem suam detinere non curaverit; de damno enim vitando ille hoc casu laborat, ideoque dignus legitimo hoc auxilio fruitur. Sed de hac re infra pluribus.

IV. Agunt autem hoc remedio *Dominus*, quatenus scilicet possidet, nihil enim commune habet cum possessione proprietas *l. 12. §. 1. ff. de A. vel A. P.* *Infans*, ratione ejus, quod peculiari nomine, per servum possidet, *l. 32. ff. eod. Pupillus, Minor,*

nor, imo *Furiosus*; licet enim hic ut infans l. 1. §. 3. eod. incipere possidere non possit, arg. l. 40. ff. de R. J. §. l. 2. §. 3. de Jure Codicill. Et d. l. 1. §. 3. nam etiam tamen ante furorem possessionem retinet, l. 31. §. 4. de usucap. cum non possit desinere animo possidere. l. 27. d. acqu. vel am. poss. arg. l. 3. §. 6. eod. quia hunc, quem non habet, animum declarare nequit. Deinde *Universitas*, *Municipium*, *Civitas*, *Collegium*, quæ, licet proprie & subtili ratione non possideant, l. 1. §. 22. d. acqu. vel am. poss. cum municipium nec animum habeat, nec corpus: *Civitas*, *universitas* non incidat sub sensus, non videatur *Universitas* sed intelligatur; res incorporalis sit, & persona imaginaria l. 22. ff. Fidejuss. utilitatis tamen causa possidere & usucapere possunt per eos, qui ipsis præsunt, l. 23. ff. d. acqu. vel am. poss. l. 7. §. 3. ff. ad exhibendum. Schneid. ad §. Possidere Inst. de Interd. *Dominus Jurisdictionis*, qui per alium eam exercet. arg. l. 20. pr. ff. de serv. A. l. 3. §. 7. Et l. 9. d. acqu. vel am. poss. *Paterfamilias* per filium possidens arg. l. 1. §. eod. l. 11. Cod. Qui test. fac. poss. *Maritus*, per uxorem possidens. Schneid. cit. loco. *Usufructuarius*, in cujus incommodum proprietarius rem, ex qua ipse usufructum percipiebat, alienavit, non deducto scil.

ulufructu *l. 29. pr. ff. Quib. mod. Usufr. vel Us. a-*
mitt. deponentes tam in specie ita dicti, quam illi,
 qui apud sequestrum custodia causa, non ut omit-
 tant possessionem, res deposuerunt, ut in *l. 39. ff.*
d. acqu. vel am. poss. Commodans; Quinimo agit
 hoc remedio *Creditor* constituarius, cujus nomine
 debitor possidere se constituit propria bona ratio-
 ne debiti persolvendi, sive cujus nomine is, qui &
 naturaliter & civiliter antea possidebat, se preca-
 rio tantum possidere constituit. vid. *l. 18. ff. eod.*
Menoch. Rem. 14. Rec. poss. Per constitutum enim
 in alterum transit possessio. *l. 17. §. 1. ff. de acqu. vel*
am. poss. cum is possideat, cujus nomine possidetur
d. l. 18. & quamvis actus corporalis non intercedat
 ejus, in quem possessio transfertur, jus tamen fin-
 git, actum corporalem constituentis se possidere
 nomine alterius esse actum corporalem ejusdem,
 in quem talis possessio transfunditur. vid. *Schneid.*
ad §. 8. Inst. de Interd. scil. si constituarii ratihabitio
 accesserit. *l. 42. ff. eod. locatores*, generatimque om-
 nes illi, qui possident.

V. *Non autem Colonus* ad longum tempus
 si in alium dominus rem transferat; *Menoch. cit.*
loco. Natura enim negotii non mutatur, nec con-
 tractus distinguuntur temporis adjuncto, sed pro-
 pria

pria conventionis forma. *l. 8. ff. mandati. Frantzk. ad tit. ff. locati. num. 29. seqq. Et in tr. de Laudem. c. 15. n. 7. Et seqq. Finckelth. O. 3. n. 13. seqq.* Hinc nec locatio, quæ lustrum sive quinquennium excedit idcirco transit in emphyteusim; hanc enim non tempus facit, sed conventionis qualitas. vid. *VVissenb. Disp. 18. tb. 33.* Atqui in colonum traditione rei locatæ neque dominium nec aliud jus in re, *l. 39. ff. Locati, l. p. §. 15. ff. de Leg. 2. l. 65. l. 80. §. fin. de contrab. emt.* ergo nec vera possessio, *l. 60. §. 1. Locati. l. 10. §. 1. l. 32. §. 1. d. acqu. vel am. poss. l. 31. §. 3. de Usurp. Et Usuc.* sed naturalis tantum detentio in conductionem transfertur. *d. §. 5. Inst. de Interd. l. 1. §. 9. l. 10. ff. de vi Et vi armat.* *Lauterb. Comp. Jur. ad tit. de acqu. vel am. poss.* Quamvis *Dd.* communiter per locationem ad longum tempus factam utile dominium transferri statuunt. *Hunn. Encyclop. Jur. p. 3. t. 18. c. 6. num. 3. Et seqq.* Nec precario ex speciali concessione possidens. vid. *l. 15. §. 4. de acqu. vel am. poss.* adversus concedentem, quia hic quandoque libuerit, revocare potest, *l. 1. pr. ff. eod.* licet aliud sit in interdicto *Unde Vi*, per quod is, qui deiecit, cogitur ei restituere possessionem: quamvis is ab eo, qui vi deiecit, vi, vel clam, vel precario possideat. *§. 6. Inst. de Interd.*

terd. Nec agit remedio hoc ille, cui investitura abusiva de feudo facta est. 2. F. 2. hac enim jus apprehendendæ tantum, & ingrediendæ possessionis conceditur.

VI. Prædictæ, inquam, personæ agunt ex lege nostra adversus illos, qui rem eorum sive ab ipsis possessam à Servo *arg. §. 3. Inst. per quas per- son. arg. l. 133. ff. d. R. J. b. l. fin. Cod. de A. vel R. P. nostro vel alieno, quem h. f. possidemus arg. §. 4. Et §. 5. Inst. per quas pers. c. a. procuratore. l. 1. §. 20. de acqu. vel am. poss. l. 18. eod. l. 15. de Constit. pec. l. 13. §. 12. de Heredit. pet. tutore, curatore, arg. d. l. 1. §. 20. administratore, Syndico. vid. Schneid. d. §. possidere Inst. de Interd. filio, l. 1. §. 5. de acqu. vel amitt. poss. uxore, proprietario, depositario, commodatario, colono, inquilino, illo, qui ex primo decreto in possessionem missus est, arg. l. 1. §. 1. ff. ne vis fiat ei, l. 3. Cod. qui pot. in pign. arg. l. 3. §. 8. uti possidet. officiali, debitore constituyente, qui & ipse aliquando creditoris possessionem intervertere dicitur Boër. Dec. 112. n. 12. Tiraqu. de Constit. part. 1. n. 54. precario rem detinente, aliisque, qui nostro nomine in possessione sunt, eique ministerium præstare dicuntur. l. 15. ff. de Const. pec. l. 13. §. 12. de Heredit. pet. l. 9. l. 25. §. 1. de acqu. vel am. poss. l. 1.*

l. 1. Cod. per quas pers. nobis acquiritur, vel desertam occuparunt, vel traditam acceperunt *arg. b. l. Menoch. d. loco.* Licet quoad hunc, debitorem scilicet constituentem contrarium tueatur *Barbat. 7. Conf. 28.* Verba etenim legis nostræ: vel quispiam alius, licet similes duntaxat ex sententia ipsius personas comprehenderet iis, quarum illa expressum mentionem facit, ea tamen constituentem ejusmodi debitorem non excluderent, qui, cum per constitutum & naturalem & civilem possessionem in Creditorem transferat. *vid. l. 18. ff. de acqu. vel am. poss.* constituendo mutat sibi possessionem, detentorque qualis vel Servus, vel Colonus, vel Inquilinus est §. 5. *Inst. de Interd. l. 1. §. 9. de vi & vi arm. l. 31. §. 3. de Usurp. & Usucap.* efficitur, nec affirmandum est, correctoriam legem hanc esse, ideoque nec existente rationis aliqua identitate ad personas similes facile debere extendi, eam namque non talem, sed exorbitantem esse, infra explanabo. Quinimo præterea, cum similitudinis ratio expressa hic reperiat, comprehendere hanc legem similes personas casusque magis, quam extensione quadam opus esse puto.

VII. Ex qua ipsa regula adversus illum quoque dabitur hoc remedium, qui, dum procurato-

C

rem

rem meum reali actione convenerat, hic autem nominatione mei *l. 2. Cod. ubi in rem Actio. l. 5. Cod. de Furtis & Serv. corrupt.* omiffa, possessorem tantum, alium forte substituendo, se negaverat, possessionem procuratoris, quæ tamen nuda erat detentio, probaverat. vid. *l. 9. ff. de Rei Vind. Comp. Lauterb. d. l.* adeoque per judicem possessor erat constitutus, licet rem suam esse non docuerat, textus in *l. ult. ff. d. tit.* idque ob pœnam mendacii *Nov. 17. c. 10.* nullo enim modo vel dolum vel culpam procuratoris nocere domino lex hæc patitur.

VIII. Ampliantur autem ea, quæ hæctenus dicta sunt, ita, ut continuo & directo tertium à procuratore vel debitore nostro possessorem, etiam illis prius non excusis, recte conveniamus. vid. *Ant. Theff. Dec. 215. Brunnem. b. l.*

IX. Constitutario autem Creditori non officit, si is, qui ejus nomine in possessione est, alterius nomine se possidere constituat. Primus enim constitutarius, cui hæc possessionis interversio struitur, dubio procul lege hac juvari poterit, non autem secundus contra tertium detentorem, cum constitutum ejus, quia primus jam possidebat, nec is constituens ullam facultatem transferendi possessionem habebat, nullius momenti sit, detentio-
que

que constituentis nihil commodi ipsi tribuat. Quandoquidem igitur secundus constitutarius nihil possedit, nullo remedio uti poterit. vid. Tiracquell. *de Constit. poss. p. 3. s.* Quod ob eandem rationem similiter procedit, licet primo constitutum tantum factum sit, secundus autem rem sibi à constituyente traditam acceperit. Menoch. *Remed. poss. Rec. 14. n. 41.*

X. Porro cum penes Creditorem, cujus nomine debitor precario tantum bona hypothecata possidere constituit, civilis remaneat possessio, licet naturalis debitori concessa sit, & ea sit natura precarii, ut id volente concedente quandoque finiatur. *l. 1. pr. ff. de Precario*; consequens est, quod si is debitor transferre velit eam naturalem in alium, constitutarius autem Creditor animam naturalem possessionem, quæ & ipsa concessionis tempore penes precario concedentem fuit, vid. *l. 6. §. 1. eod. recuperandi* declarat, extinguatur precarium; *arg. l. 22. §. 1. de nox. act. l. 13. §. 1. de Public. in rem act.* & ideo multo magis Creditorem frui posse legis hujus beneficio adversus illum, qui ab ejusmodi debitore bona illa hypothecata detinet.

XI. Et generaliter conditio hæc *contra ter-*

tios possessores, omnesque eos, quibus commodatarii, depositarii cœterique his similes, rem occupandam dereliquerunt aut tradiderunt, domino conceditur; licet sint Clerici; lex enim hæc nec peccatum continet, nec Canoni adversatur, sed tam incommodum, quam incommodum cuiusvis lancita est. vid. Menoch. d. tr. Remed. Rec. 14. num. 51.

CAPVT III.

PROPONIT

O B I E C T V M.

S V M M A R I A.

I. Possessio naturalis & civilis, justa sit vel injusta, est objectum materiale. II. Q. Si officialis negligens sive dolosus sit circa Jurisdictionem domini exercendam an possessio hac actione condici possit. III. Comprehenduntur Mobilia & Immobilia. IV. Res extra commercium que sunt, non possidentur. V. Formale objectum est res dolo culpæ serui amissa. Refertur dissidium inier Sabinum & Proculum. Componitur. VI. Si nostro nomine traditur possessio, hanc amittit dominus. VII. Nostri Lex non est veteris juris correctoria. Non sunt inter

ter se contraria dejici de possessione, & hanc non amittere. VIII. Tam derelicta quam tradita possessio constituit hujus remedii objectum. IX. Locator retinet possessionem per Conductorem. Obiinet hac actio, ubi arrestum rei mea propter debitum suum passus est procurator. X. Si colonus solum animum non revertendi in possessionem deseruit, & a tercio occupata est, hac obtinet actio. XI. Recuperatur hujus legis remedio rei commodata, deposita, constituta, precario concessa possessio. XII. Si malitia procuratoris sui inundatio praedii mei, postea, ubi recessit aqua, hac adjuvor actione. XIII. Hoc remedium adipiscende non est. XIV. Neque agitur de possessione retinenda. XV. Quatenus Procurator & c. actione Mandati possint conveniri.

§. I.

Materiale Remedii hujus objectum est possessio naturalis & civilis, justa & injusta, in summa enim possessionis nihil interest, juste quis, an injuste possideat. l. 3. §. 5. l. 53. ff. de A. vel A. P. rei corporalis & incorporalis, ut servitutis, privilegii, Jurisdictionis. arg. l. 23. §. 2. ff. ex quib. caus. maj. l. ult. ff. de Servitut. l. ult. ff. si Servit. vind. horum enim usus habetur pro possessione, l. 20. pr. ff. de

ff. de servitut. pro qua dantur interdicta quasi possessoria, l. 8. §. 5. ff. si Servit. vind. exque incorporales res longa quasi possessione acquiruntur, l. 10. ff. eod. l. 2. Cod. de Servitut.

II. Quæri hic potest, an, si officialis negligens sive dolosus sit circa jurisdictionem domini exercendam, ita, ut adversarius magistratus actus ad mixtum imperium pertinentes exercent, meri quoque imperii possessio hac lege recuperanda sit? Et cum Jurisdictio mixta, specie diversa sit à mero imperio, ideoque quælibet jurisdictionis, species seorsim debeat usu quasi apprehendi *arg. l. 30. pr. arg. l. 1. §. 16. ff. de A. vel A. P.* ubi ex unius servi hereditarii, ad aliorum possessionis acquisitionem nihil inferitur; ex eo efficitur & cogitur, casu hoc meri imperii possessionem non amissam, nec opus hoc remedio esse.

III. Comprehendit porro constitutio nostra res tam mobiles, quam immobiles, *arg. l. nostr.* verbis: cujuscunque rei, *Glossa b. l. quemadmodum remedium quoque ex c. redintegranda 3. qu. 1.* propter generale verbum: *omnia*, ad mobilia quoque Dd. pertinere existimant.

IV. Et generaliter omnes res, quæ possideri possunt, huc pertinent. Quamvis autem Paulus

in

in pr. l. 3. ff. de A. vel A. P. corporalia possideri dixerit, eo tamen non voluit omnia corporalia possideri, sed hoc, non nisi rerum corporaliū proprie sic dictam possessionem esse; Sacrae enim res religiosae & sanctae, nec non omnes ea, quae extra hominum commercium sunt, quamvis tangi queant & naturaliter apprehendi, non tamen possideri, sed nude detineri dicuntur, *l. 30. §. 1. ff. eod.* Quibus ergo similes sunt Respublicae, ut forum, basilica, &c. *l. 1. §. ult. eod.* & liber homo, si à sciente detineatur. *l. 23. §. ult. §. 4. Inst. per quas personas.* nec non res incertae; nam partem incertam possidere nemo potest. *l. 3. §. 2. l. 26. b. t. l. 32. ff. de Usurp. & Usucap.* Incertum vero dicitur illud, quod nescitur, quod, quale, quantumque sit. *l. 74. ff. de V. O.* cujus rei ea est ratio, quod rei incertae possessio tradi nequeat, unde nec dominium ejus acquiritur. *l. 20. Cod. de Pact.* Rem tamen per relationem ad alia certam incertam non dicimus, per tritum illud: participari rem per se esse certam, aut posse certificari relatione ad aliud. *arg. l. 59. §. 4. ff. de Re Jud.* hinc partem pro indiviso possidere proterimus; licet enim loci ratione incerta sit, & ita in sensum non incurrat, certa tamen dicitur ratio
ne

ne quotæ scil. dimidiæ, tertiæ, &c. vid. l. 26. ff. de
A. vel A. P.

V. *Formale* autem ejus objectum est pos-
sessio dolo vel culpa servi, non autem violenta e-
jus dejectione *arg. l. n. amissa*. Nimirum ubi ser-
vus, colonus, vel quispiam alius, qui possessioni
nostræ operam suam accommodat, & per quem
licentia est nobis possidere *b. l. d. §. 5. Inst. de Interd.*
l. 9. l. 18. l. 25. l. 30. §. 5. l. 37. l. 39. l. 40. ff. de A. vel A.
Poss. corporaliter nactam possessionem *b. l. fundi*
dereliquit eoque intervertendæ possessionis ani-
mo discessit, affirmat Sabinus *l. 37. b. t.* eumque
secutus Africanus *l. 40. §. 1. vers. aliud existiman-*
dum eod. possessionem dominum amittere; nega-
re vero videtur Proculus, in *l. 3. r. ff. de dolo malo,*
& Paulus *l. 3. §. 8. vers. quod si Servus ff. de A. vel*
A. P. adeo, ut concludat exinde Perez. *ad tit. Cod.*
de A. vel R. P. n. 21. disfidium hoc casu fuisse inter
Sabinianos & Proculeanos; Verum dici fortasse
poterit in casu *d. l. 37.* familiam de possessione vel
plane non decessisse, aut si decesserit, eam à tertio
nondum occupatam fuisse, nec adeo obstare pot-
est, quod ibi dicitur de dolo malo iudicium in
possessore competere, si quid damni domino
accesserit, hoc enim damnum non ab amissione
tantum

tantum possessionis, sed aliunde etiam à latronum forte expilatione aut furto, quod vel ipse per se fors meditatatur, proficisci poterat; Cumque in de lege paululum saltem à fundo animo revertendi recedens dominus eandem in conspectu retinuisse præsupponendum sit, ille nec naturalem in genere nec civilem in specie possessionem, quod ipsum Paulus innuit, amittebat. vid. Schneid. *ad d. §. 5. Inst. de Interd. n. 157.* Nam cum possessio oculis acquiratur, *l. 1. §. 21. ff. d. A. vel A. P.* multo ea magis iisdem retinebitur. *arg. l. n. fin. in fine Cod. de A. vel R. P.* ideoque nec factum familiæ, quam custodiæ saltem causa dominus reliquerat, eidem circa possessionem præjudicium quoddam generare poterat; ipse enim retinisset possessionem, etsi neminem domi reliquisset, nisi revertens fuisset ab eo, qui interim occupasset, repullus aut suspicatus, se posse repelli. *l. 25. §. 2. ff. eod.* Quoad *d. l. 3. §. 8.* autem cum glossa *b. l.* dico amitti ibidem possessionem naturalem, quam per servum retinebat dominus, non autem civilem, quæ penes ipsum animo retinentem remanebat; ignorant enim non debet tolli possessio, quæ solo animo retinetur *l. 46. ff. de A. vel A. P.* eo scilicet, qui alias voluntas & affectio possidendi dicitur. *l. 1. §. 3. eod. l. 2.*

D

§. 3.

§. 3. ff. pro Emt. mens & cogitatio l. 3. §. 1. eod. Id vero, quod idem Perez. c. l. dicit, Justinianum Proculi sententiam ex mente ejus Sabiniorum opinioni contrariam probasse, ex lege nostra colligi posse non existimo.

VI. E diverso tamen, si nostro nomine detinens alii prodiderit sive tradiderit possessionem, quin eam dominus amittat, nemo est qui dubitaverit; l. 44. §. fin. l. 47. de A. vel A. P. ideo probabiliter, quod ministerio illo, quod nostro nomine in possessione existentes nobis præstiterunt, per occupationem & acquisitionem alterius sublato, tollatur quoque ipsa possessio.

VII. Utroque igitur casu amissa dicitur possessio, & ut mox patebit, ad legem nostram pertinet. Ex quo tamen male quis inferret, eandem veteris esse Juris correctoriam; talis etenim demum vocatur illa, quæ priori generali lege in genere, aut speciali in specie repugnat; Atqui dum *ll. allegatæ ff.* dicunt possessionem dolo vel culpa procuratoris derelinquentis vel tradentis amitti constitutione hac non contrarium, eandem scilicet non amitti, sancitur, sed hoc tantum, amissionem eam non nocere, utilitatis causa disponitur. Licet in effectu idem sit, ac si possessio plane non
amissa

amissa esset, quemadmodum, si quis vi de possessione dejectus sit, perinde haberi debet, ac si possideret, cum interdicto de Vi recuperandæ possessionis facultatem habeat: dicitur *in l. 17. pr. d. tit.* Ex quo apparet legem hanc, quia contra effectum modo priorum legum lata est, exorbitantem potius, quam correctoriam dici posse; Quæ sententia, cum in correctoriis difficilior extensio de casu ad casum detur, quoque utilior est.

VIII. Dixi præcedente §. utroque casu amissam possessionem, adeoque tam derelictam & occupatam, quam traditam objectum hujus remedi constituit, & recte, ut opinor; cum enim generalis sit legis nostræ ratio ea, quæ æquitatem naturalem respiciens domino per factum servi vel inquilini alienum inferri præjudicium non debere constituit, eaque non superiore modo casu, ubi deserta possessio & occupata est, sed posteriori etiam, ubi tradita eadem intelligitur, militat, verbum quoque tradiderit, ut supra cap. 1. notatum fuit, idem denotet, quod tradiderit; uterque casus lege nostra comprehenditur. Quod procedere puto, licet is à tradente acquirens tradentem non detentorem, sed dominum fuisse probabiliter crediderit.

IX. Ex quo igitur amissa debet esse possessio, quoad effectum competentiae hujus remedii, si conductor rem vendidit, eamque ab emtore conduxit, & utrique mercedes praestitit, pro locator non opus habet vel hoc, vel quovis alio remedio recuperatorio, quia nihilominus possessionem per conductorem retinet. *l. 32. ff. de A. vel A. P.* Unde illud quoque, quod supra de possessione Jurisdictionis hujus *cap. §. 2.* dictum fuit, huc referendum est. Idem quoque obtinet, ubi procurator Arrestum rei meae propter debitum suum passus fuit. Arresta enim assimilantur missionibus in possessionem ex Primo decreto: *Molin. in Consuetud. Paris. p. 2. §. 1. n. 17.* Ex tali autem decreto missus nudus detentor efficitur, *l. 12. ff. quib. ex. 1. maj. c. 1. x. de dolo & contum. & arg. c. 7. x. de Restit. spoliat.* & consequenter, cum praeterea Arrestantis intentio non fuerit dominum possessione privare, sed sibi respectu debiti prospicere, possessio non amittitur. Diversum vero judicandum foret, si procurator detinens debitoribus fundum in solum daret, ejusque possessionem traderet, aut missionem est secundo decreto pateretur, in *l. 30. §. 2. ff. d. A. vel A. P.* vel sequestrationem. *arg. l. 39. eod.* tunc enim dubio procul recuperatorium remedium utile foret.

X. Mul-

X. Multo autem fortius uti poterit hoc remedio is, qui, dum colonus solum animum non revertendi in possessionem deseruit eam, quæ à tertio deinde occupata est, naturalem possessionem non quidem dolo Coloni, sed occupatione alterius, qui naturalem vacantem invenit, amittere, civilem autem retinere intelligitur, cuius vel ipsius virtute naturalem sua autoritate ingredi & recuperare poterit, antequam suspicetur se posse repelli, vel jam expulsus fuerit. *l. 25. §. 2. ff. de A. vel A. P.* Quod enim solo animo possidemus, usque eo possidemus, donec nos revertentes aliquis repellat, aut nos ita destinamus possidere, quod suspicemur nos posse repelli ab eo, qui ingressus sit in possessionem. *d. l. 25. §. 1. l. 7. §. 1. ff. eod.* Quod procedere dicunt, etiam si dominus aliquandiu negligens circa naturalem possessionem recuperandam fuerit, Menoch. *ibid. n. 50.*

XI. Recuperatur itaque hac lege possessio rei commendatæ, depositæ, constitutæ, precario concessæ, locatæ, mandatæ, eæ, quam commodatarius, depositarius, debitor constituens, precario rogans, conductor, procurator, servus, alique his similes supraque memoratæ personæ alteri occupandam dereliquerunt, vel tradiderunt ac
 D 3 qui-

quirendam, imo possessio ejus ipsius rei, quam depositarius, commodatarius &c. furti faciendi causa contractarunt, desinit enim & hoc casu possidere dominus, modo illi rem loco moverint, animumque inficiandi habeant, alias enim Sabinus & Cassius, possessorem me manere, responderunt in *l. 3. §. 18. vid. l. 47. ff. de acqu. v. am. P. l. 67. pr. ff. de Furtis.*

XII. Quamvis præterea inundatione tam naturalis, quam civilis amittatur possessio; unde quod mari aut flumine occupatum est, possidere desistimus, *l. 3. §. 17. l. 30. §. 3. d. A. vel A. P. l. 12. §. 2. de Reb. autor. jud. possid.* cujus rei ratio forte ea est, quod, si per occupationem alterius nostra possessione privamur, dummodo verisimiliter nos eum posse expellere non credamus, *d. l. 25. §. 2. b. t.* multo magis illud fiat inundatione, utpote adversus quam nullius momenti sunt vires nostræ; Et inundatione facta præscriptio amplius non currat: *Gloss. in A. l. 3. §. 17.* Attamen si malitia procuratoris hæc inundatio acciderit, posteaque ubi paulo post recesserit unda, & apprehensa iterum à me fuerit possessio ejus rei, eam deinde tertius vindicare à me intendat, oppositaque à me præscriptionis exceptione, replicet,
eam

eam inundatione interruptam esse, quin, si duplicando constitutionem hanc pro me allegem, & probanda probem, eadem adjuvari debeam, generalem ejus rationem perpendens nullus dubito.

XIII. Non autem remedium adipiscendæ hæc lex est. Si enim servus vel procurator non deferat vel prodat possessionem, sed rei nondum possessæ, forte hereditatis delatæ possessionem apprehendere negligat: quamvis & hoc casu ex aliena malignitate alienum damnum non emergere debere videri posset, & in specie servus domini conditionem deteriore reddere nequeat; Veruntamen, quia hic non de damno rei possessæ & amissæ, sed de lucro, rei acquirendæ quæritur; Nocere omnino hoc casu dolum culpamque eorum domino vel mandanti verum est. Multum enim interest inter lucrum non captare, quod facilius conceditur, cum, ubi de lucro rei acquirendæ agitur, omnino deterior domini per procuratorem fieri soleat conditio, & de bonis acquisitis aliquid dimittere; facilius enim aliquid retinetur, quam acquiritur. vid. Carpzov. P. 3. cap. 7. d. 15. Quod & proba altera legis nostræ pars, ibi: Hoc etenim tantum sancimus, ut dominus nullo modo aliquod

aliquod discrimen sustineat ab his quos transmissit, non etiam ut lucrum sibi per eos adquirat. Sibi ergo hoc casu imputet dominus, quod desiderem procuratorem elegerit, & ex mala sua electione præjudicium circa possessionem patiat, ex memoratarum personarum vel machinatione, vel negligentia accedens. *arg. l. 203. ff. d. R. 7.* Licet salva maneat in hoc casu domino rei, vel isti, qui ad detinendam possessionem eos transmissit, adversus eos omnis actio, si qua ex lege ei competit, ex verb. *fm. l. n.*

XIV. Nec agitur ex hac lege ad possessionem retinendam; Ubi enim dominus non obstante vel negligentia vel malignitate procuratoris aut servi, tertiique apprehensione possessionem, quam utique amittit retineret, frustra aliqua actio daretur ipsi, qui nullum incommodam sensisset.

XV. Cæterum quatenus Procurator, colonus, inquilinus, delerens vel prodens actione mandati, *arg. l. 11. ff. l. 13. l. 21. Cod. mandat. Gloss. b. l. locati*, vid. *l. 29. pr. ff. Quib. m. Usufr. amitt. commodati*, in factum, aut de dolo, ad restituendam domino rei, vel ei, circa quem negligentem vel dolose versatus est, omnem jacturam conveniri possit; cum id ad tractationem mihi propositam

fitam non pertineat, licet mentio ejus hac ipsa in lege fiat, id consulto omitto. Sane præ reliquis Procuratorem teneri æquum est, quo pertinet, quod scribit Cicero in *Orat. pro Rosc. Amerino*: In privatis rebus, inquit, si rem mandatam non modo malitiosus gesserit, sui quæstus aut commodi causa, verum etiam negligentius, is admittit summum dedecus. Quid enim recipis mandatum, si aut ad tuum commodum conversurus aut neglecturus es? cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officis & obstas?

CAPVT IV.

AGIT

DE FORMA, FINE, EFFEC-
CTV ET CONTRARIIS.

S V M M A R I A.

I. Forma ponitur in legitima recuperatione. II. Finis ut possessionem factæ coloni &c. amissam recuperemus. III. Effectus est, quod idem sit, ac si possessio nunquam fuerit amissa. Dominus omnibus compendiis, quæ ad possessionem alias spectant, adiuvatur. IV. Tollitur hæc actio præscriptione 30. annorum. V. Tertio possessori jus offerendi non

E

con-

conceditur. VI. Remedia recuperande possessionis non admittunt exceptionem: dolo facis, dum petis, quod restitutus es.

I.

Estigitur *Forma* hujus remedii posita in recuperatione legitima possessionis, quam facto ejus, per quem possedimus, amisimus, ex nostra lege instituta. Requiritur ergo recuperatio non extrajudicialis, quæ & ipsa quidem multis casibus potest procedere; *vid. l. 3. §. 9. l. 17. de Vi & Vi arm. l. 25. §. 2. d. A. vel A. P. l. 16. §. fin. eod. Menoch. dict. Rem. 14. num. 9. & 49.* Sed judicialis, quæ conditione ex hac lege obtinetur: Et dein amissio possessionis ea, quæ accidit ex facto alieno ipsius, qui nostro nomine rem detinere debuit. Ipsi enim si desinerimus rem animo nobis habendi detinere, possessionem ejus statim amittimus. *l. 3. §. 9. de A. vel A. P.* nullo remedio possessorio recuperandam. Licet si alius eam nondum apprehenderit novo acquisitionis facto intercedente illum iterum acquirere possimus. *l. 19. §. 1. ff. de A. vel A. Poss.* Hoc igitur remedio usus tria probare debet (1) se possedisse sive possessorem antiquiorum esse, (2) se amisse eam possessionem, & quidem

dem (3) dolo vel culpa ejus, per quem possederit.

II. *Finis* est, ut possessionem facto coloni vel servi nostri amissam legitime recuperemus.

III. Efficitur denique remedii hujus beneficio, ut possessionis per id recuperatæ effectus idem sit, ac si ea nunquam amissa fuisset; Ex quibus consequitur, dominum omnibus compendiis, quæ ad possessorem alias spectant, adjuvari. Illa autem ingentia sunt, & in eo præcipue posita, quod possidens præsumatur dominus, ideoque probationis onus in adversarium rejiciat. *l. 14. ff. de Probation. l. 2. Cod. eod.* & hoc ipso, quod quis possidet, melior ipsius conditio, quam adversarii sit. *l. 128. ff. de R. J. l. 9. §. 4. de Publ. in Rem. Act. l. 8. de Condict. ob turp. l. fin. Cod. de R. V.* cum unusquisque titulo præambulo in dubio possidere præsumatur. arg. *l. 2. Cod. de A. vel R. P. Alciat. 2. Præsumt. 23.* quem etiam edere non cogitur, nisi in hereditatis petitione. *l. 11. Cod. de Hered. pet.* Quinimo et si conditione ex lege hac victus victorem reconveniat, sed non probet, reconventus possessor absolvitur. arg. *l. ult. Cod. de Rei Vind. §. 4. Inst. de Interd.* Porro immobilium possessor à satisfactione liberatur. *l. 15. ff. qui satisfacere cog.* Et qui-
 E 2 libet

libet possessor turbatoribus resistere: *l. Cod. unde vi*, & dejectus propria autoritate possessionem in continenti recuperare potest. *l. 3. §. 9. ff. de Vi & Vi arm.* Sed in specie effectus possessionis ex lege hac recuperata notatu dignissimus est ille, quod amissione ista qualificata non interrumpatur Usucapio, & id quoque tempus, quo, antequam illa acciderit, quis possessor fuit, eidem prodesse debeat. arg. *l. nostra*, verbis: *nihil penitus prejudicium generetur.*

IV. Tollitur hæc conditio præscriptione triginta annorum; Etsi enim tertius possessor rerum hypothecatarum, easdem adversus Creditorem decennii spatio præscribat, *l. 1. & 2. Cod. si adversus Credit. præscr. opponat.* tamen, quia hoc remedium principaliter & proprie contra tertium est proditum, qui debitor reputatur, quod in dictis *ll.* non est, & quia est conditio ex lege; ideo illud perpetuum est, annosque 30. durat. arg. *l. 3. & 4. Cod. de Præscr. 30. l. 40. ann.*

V. Non autem illi tertio possessori jus offerendi ipsi Creditori constitutario agenti, conceditur; hoc etenim restitutionem possessionis contra legem hanc morari non debet, cum nec vindicanti offerri possit. *l. 163. ff. de Rei Vindicatione.* Licet, ubi

ubi hypothecaria agitur, res aliter sese habeat, *l. 19. ff. qui potior. in pign.*

VI. Nec cum effectu opponi potest actori exceptio: dolo facis petere, quod statim restitutus es, quia recuperandæ possessionis, remedia exceptionem hanc non admittunt, sed spoliatus ante omnia restituendus est. vid. Brunnem. *ad l. 21. Cod. de Probat.* Unde nec compensationis exceptio hic locum habet. Quemadmodum prædoni quoque, qui vi possessionem alienam occupavit, nec retentio, nec compensatio datur *l. ult. in fin. Cod. de Compens.* Reipubl. enim interest possessionem ereptam quamprimum restitui, nam mali esset exempli possessionem alicui eripi, repetenti-que compensationem opponi, cum nec ejusdem delicti exceptio illi recte objiciatur. *l. 8. Cod. ad leg. Jul. de Vi & Vi arm.*

VII. Affinia huic conditioni sunt reliqua pro recuperanda possessione introducta remedia, imprimus autem illud ex c. redintegranda *3. qu. 1. de quo ut & pluribus aliis recuperatoriis remediis late Menoch. de Interdict. parte 3. Rem. 14. ad 15.*

Et hæc pro instituti ratione sufficiant. DEO interim sit gloria, qui omnium actio-

num mearum

F I N I S.

COROLLARIA.

I. Usufructuarius & naturaliter, & civiliter possidet.

II. Illi, qui naturaliter est expulsus de fundo, quem incepit præscribere, si in continenti eum recuperet, non interruptitur præscriptio.

III. Ad probandam possessionem, productio instrumenti, in quo continetur venditorem se constituisse nomine emtoris possidere, non sufficit.

IV. Statuto fieri potest, ut possessio ipso jure in heredem continetur.

V. Remedium leg. fin. Cod. de Acquir. vel retin. possess. & instar exceptionis proponi potest.

VI. Colonus, si post lustrum completum fructus invito domino percipiat, furtum committit.

VII. Possessio Feudi interdum acquiritur & per abusivam investituram,

VIII. Nuptiæ citra parentum consensum in-
itæ rescindi non debent, si res non amplius sit in-
tegra.

SOLI DEO GLORIA.

Jena, Diss., 1690 1/2




TA → OL

2. + 15. Stock bisher nur verknüpft

KD17





B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO IURIDICA
DE

Act 5
G. 27. num. 34
1680, 23 b
8

POSSESSIONE

A DETENTORE DERELICTA VEL PRODITA,

OCCASIONE
L. VLT. C. DE ACQVIREND. AC RETINENDA
POSSESSIONE.

GERM.

Wenn jemandes Bedienten zc. einen Dritten zur Bes-
signehmung ihres Herrn Güter zc. einlassen und be-
schädigen; was darbey Rechtens.

PRAESIDE
PETRO MÜLLERO, ICTO,
CONSILIARIO SAXONICO,
CODICIS, IURIS PVBLCI ET FEVDAL. PROF.
COLLEGIOR. IURIDICORVM ASSESSORE
ET DECANO,

AD D. DECEMBR. CIO IO CXC.

HABITA

A.
IOANN. AVGVST. RICHTER.

ALTENB. MISN.

NVNC VERO OB IN FORIS VTILITATEM

IENAE,
REC. PER IO. BERNH. HELLERVM, 1745.

